

ADMONITIO.



UM Aquilejensium Patriarcharum vetustos Catalogos, Rerumque Foro-Julienſium Chronica, quorum fragmenta in ſuperiore Commentario noſtro frequentius allegavimus, Lectorum oculis integra exhibere polliciti fuerimus; eademque de cauſa, ut datam fidem liberemus, Appendicem ſubjungamus: nonnulla præfari pretium operæ ducimus, quæ opusculorum auctores, ætatem, aliasque notas, quoad fieri quidem poteſt, pateſciant, ac illuſtrent.

Num. I. prodit in lucem Catalogus, qui ampliffimæ Eccleſiæ Antiſtitum ſola nomina recenſet. Hunc ſingulis annis die ſecunda Februarii in Feſto Purificationis Deiparæ in inſigni Collegiata S. Mariæ Eccleſia Civitatis Fori-Julii, Candelarum diſtributione completa, ante Miſſarum ſolemnia, coram palamque ex Odeo alta voce recitat Canonicus Archidiaconus, quem in planis vocant; alter enim diſtinguitur, qui eodem fungitur munere, *Archidiaconus in montibus dictus*. Mos idem in Aquilejenſi Metropolitana Eccleſia olim ſervabatur, ut colligere certo licet ex Codice Membranaceo, cui titulus, *Incipit Ordo officii ſecundum morem & conſuetudinem Aquilejenſis Eccleſiæ*, in quo hæc habentur: *In Purificatione Sanctæ Mariæ &c. Facta autem ſtatione in medio Eccleſiæ, imponit (ſeu incipit, Cangio adnotante in Gloſſario) Episcopus, vel Sacerdos loco ejus celebraturus Antiph. Hodie Beata Virgo &c. Quo finito, recitantur nomina Patriarcharum.*

Ritum iſtum profluere ex vetuſto Diptychorum uſu, Capite I. adnotavimus, proque certo comperitoque habemus. Diptycha Episcoporum erant codices aut libelli, quibus in ſingulis Eccleſiis nomina Præſulum inſcribebantur, qui eaſdem adminiſtraverant, inter Miſſarum ſolemnia publice recitanda. Ea in Archivis & ſcriniis Eccleſiarum religioſſime cuſtodiri ſolebant, ut Episcoporum ſucceſſio ac ſeries conſtaret, dataque occasione probaretur. Illuſtre ſuppeditant exemplum (ut cætera prætereamus) Acta Concilii Mopſveſteni, quæ Collatione V. Synodi quintæ œcumenicæ habentur. Compellatus Joannes Presbyter & Cimiliarcha a Synodi Patribus, ut Episcoporum Mopſveſtenæ Eccleſiæ catalogos traderet, eos ex Armario ſacrorum vaſorum protulit: *Diptycha*, inquit, *iſta protuli, & ad recitationem porrigo. Habeo & alios duos Membranaceos quaterniones vetuſtiores iſtis, qui nunc ſunt, & recitantur.* Cujusmodi fuerint, ſequentibus verbis declaratur: *Pro requieſcentibus Episcopis Protogene, Zoſimo, Olympio, Cyrillo, (loco Theodori ſenioris, qui hæreſi infectus deceſſerat, nomen Cyrilli Alexandrini Diptychis Mopſveſtenis inſcriptum fuiſſe, Acta teſtantur) Thoma, Baſſiano, Joanne, Auxentio, Palatino, Jacobo, Zoſimo, Theodoro, Symeone. Et ex alio Diptycho: Pro requieſcentibus Episcopis Protogene, Zoſimo, Olympio, Cyrillo, Thoma, Baſſiano, Joanne, Auxentio, Palatino, Jacobo, Zoſimo, Theodoro, Symeone. Et ex aliis Diptychis: Pro requieſcentibus Episcopis Protogene, Zoſimo, Olympio, Cyrillo, Thoma, Baſſiano, Joanne, Auxentio, Palatino, Jacobo.* Mos idem ſequiore ætate in pluribus adhuc Eccleſiis obtinebat, tametiſi in aliis abierit in deſuetudinem. Seculo nono Hincmarus Remenſis apud Cangium in Gloſſario, Nicolaum Romanum Pontificem poſtulavit: *utrum Ebonem inter Episcopos in ſacris Diptychis in Eccleſia nominari permittere deberet.* Quinam vero fuerit in eadem Eccleſia uſus Diptychorum, Adalbero Archiepiſco-

pus, qui anno 988. mortem obiit, diſerte declarat apud Fulcuinum de Geſtis Abbatum Lobienſium Capite VII. Tomo II. Spicilegii Dacheriani noviffimæ Editionis in Folio, ubi teſtatur ille: *Prædeceſſorum ſuorum ductam uſque ad ſe conſuetudinem, ut inter Miſſarum ſolemnia in ea ſpeciali commemoratione Deſunctorum, quæ ſuper Diptycha dicitur, & in conſecratione Dominici Corporis quotidie in aurem Presbyteri recitante ſilenter Subdiacono, omnium ipſius Sedis nomina ſcripto viritim recitentur Episcoporum.* Recentiora nonnulla profert exempla Edmundus Martene De antiquis Eccleſiæ ritibus Libro I. Capite IV. Articulo VII. num. 24. Allegata Adalberonis auctoritate, hæc narrare pergit: *Imo ſeculo XI. inquit, id paſſim in uſu fuiſſe, patet ex Concilio Helonenſi ſeu Tulugienſi, ex Micrologo Capite XIII. & ex Leone Oſtienſi Libro II. Chronici Caſſinenſis Capite LXXIII. At vero Herimannus Monachus S. Martini Tornacenſis, qui in ſequenti ſeculo ſcribebat, in Libro de reſtauratione ſui Monasterii innuere videtur, hunc ritum ſuo tempore in deſuetudinem abiſſe. Vigeſat tamen adhuc in Eccleſia Ambianenſi, in cujus Diptychis Gervinus, qui ineunte ſeculo XII. diem clauſit extremum, commemoratur.* Hæc ille Diptycha in ſpecimen aliorum ſub oculos ponit: *Memento etiam, Domine, & eorum nempe Firmini Confeſſoris, Honorati, Salvii, Berhundi, Leodardi, Audoeni, Bertefridi, Dadonis, Beati, Deodati, Orſimani, Dominici, Chriſtiani, Rumberti, Aluſi, Georgii, Jeſſe, Sigehardi, Reginari, Hermerodi, Geroldi, Ogeri, Beraldi, Ramboldi, Teurbodi, Almanni, Godeſmanni, Fulconis, Widonis, Ratdulſi, Rorgonis, Gervini, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis.*

Satis jamvero patet, primis Eccleſiæ ſeculis Diptycha Episcoporum, qui vitam in communione catholica cum morte commutaverant, inter Miſſarum ſolemnia publice lecta fuiſſe: aucto Episcoporum numero, ne diutius liturgica operatio protraheretur, in deſuetudinem abire eam cœpiſſe Episcoporum commemorationem: at in quibuſdam Eccleſiis Diptychorum uſum paucis mutatis retentum eſſe, ut exemplis demonſtravimus. Aliam viam tenuiſſe videtur Eccleſia Aquilejenſis. Nomina ſuæ ſedis Antiſtitum inter Miſſarum ſolemnia recitare abſtinuit: ſed eadem ut ſemel in anno ex Odeo legerentur coram populo, obtinuit uſus, hodieque morem iſtum ſervat Eccleſia collegiata civitatis Fori-Julii.

Ex hiſce Diptychis, obſervarunt docentque Doctiſſimi Viri, vetuſtos prodiſſe Episcoporum catalogos, qui non paucis in Eccleſiis adſervantur: ac jure ſane meritoque admonent, fidem eiſdem, cum de ſucceſſione ac ordine Episcoporum agitur, non minus ac Diptychis adhibendam eſſe, quoties interpolationes non appareant, quæ ſequiore ætate irreperſerint. Hinc ſibi fidem auctoritatemque conciliat Catalogus noſter, quem primo loco in lucem edimus, tum ea quæ vetuſtis id genus catalogis communis ratio eſt, tum peculiari qua gaudet prærogativa; ſpeciem enim Diptychi habet, quod olim in Aquilejenſi Metropoli recitabatur, ac etiamnum legitur in Eccleſia civitatis Fori-Julii. Neque tamen inficias iverim, nonnullis ipſum vitiatum eſſe interpolationibus. Perperam primi Episcopi titulo Patriarchæ inſigniantur, qui ſeculo ſexto aut ſeptimo exortum habuit: ac perperam intruſus Stefanum inter ac Macedonium legitur Maxentius, ille fortasſe qui Julienſem in Carnis Eccleſiam adminiſtravit. Si quæ